



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Tectum loquendi genus Innocentij examinatur, cùm agitur de feudo Montispessuli. Supremum jus in id sibi competere putabat. Regem tamen in possessione hominij esse sciebat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

nomine insignitum, tum Comitatus Sultantionensis, tum Melgorensis; hoc est, à Castro Melgorij, quæ illius pagi arx erat validissima, & Comitum sedes, illud à vico Sultantione, qui in edito loco situs, Antonini Itinerario & Hierosolymitano Tabulæque Peutingerianæ notus, ab urbe Montispessuli mille passibus aberat. Eò translata fuerat Episcopi cathedra, Magalona urbe à Carolo Martello deleta, ne iterum insulam illam Sarraceni ex Hispania eò navigiis delati invaderent, oramque maritimam Septimaniam deprædarentur. Inde episcopatus promiscuè Sultantionensis & Magalonenis dictus, quod nomen Comitatus facile communicatum est. Anno MLXXXV. hunc Comitatum Sultantionensem, sive Melgorensis, Petrus Comes Melgorij Gregorio VII. & sedi apostolicæ tradidit in *alodium*; id est, in eam sedem dominium & proprietatem transcripsit ejus Comitatus, quem statim beneficiario jure ab eadem sede apostolica se possidere professus est, sub conditione fidelitatis & uncie auri titulo annui census persolvendæ. Tandem cum ad Beatricem Bernardi Peleti uxorem Comitatus Melgoriensis pervenisset, Beatrix Ermisendæ filia, Raimundi Comitis Tolosani uxori, eum Comitatum dotis nomine dedit anno MCLXXII. Ac sanè Raimundus, cui solenne erat bona Ecclesiarum invadere, hominum Guillelmi Domini Montispessuli, quasi Comiti Melgoriensis debitum, suscepit anno MCLXXXIV. & MCLXXXIX. quod in detrimentum Ecclesiæ Magalonenis tentatum fuisse non dubitabit qui quæ superius adnotata sunt expendet. Abdicata à Raimundo Albigensium fautore possessione Comitatus Melgoriensis unâ cum ceteris bonis, judicio Concilij Lateranensis, ejus utile dominium cum directo consolidatum est, ita ut proprietas & ususfructus ad sedem apostolicam pervenerit; tum ratione damnationis in Raimundum latæ, tum ob cessationem diuturnam in canone solvendo. Sed Innocentius Ecclesiæ Magalonenis beneficij & feudi jure Comitatum concessit, sub censu annuo viginti marcarum argenti, anno MCCXV. ut patet ex tabulis investiturae. Controversiâ motâ tempore B. Ludovici de Comitatus illius proprietate, Clemens IV. literis ad Regem datis docet ad Ecclesiam Romanam pervenisse ea ratione quam recensui. Sed jam tum causa sua cecidisse videtur, S. Ludovici decreto: quia suprema jura à Petro Melgorij Comite transferri non potuerant in Romanum Pontificem, sine consensu Regis.

IV. Certum quidem est feudum Montispessuli beneficiario jure ad Ecclesiam Magalonensem pertinuisse antè quàm Comitatu Melgoriensis ab Innocentio III. aucta fuisset. Quare cautè loquitur Innocentius in dicta Decretali, cum *partem terre ab Ecclesia Magalonenis Vuillelmum possidere dicat*; non tamen difertè feudum Montispessuli, à quo Vuillelmus agnomentum traheret. Fieri enim poterat ut reliqui patrimonij pars in Comitatu Melgoriensis sita esset, unde hominum deberetur Ecclesiæ Magalonenis. Deinde in altero loco Vuillelmum alloquens, his verbis utitur: *Tu autem aliis nosceris subjacere. Vnde sine ipsorum forsan injuria, nisi prestarent assensum, nobis in hoc te subdere non posses*. Pluralis illa locutio plures dominos significat, & alium præter Ecclesiam Magalonensem: cujus, utpote sibi & temporaliter & spiritualiter subdita, tantam rationem non habuisset, quin superiori jure concessisset natalium restitutionem, nisi Regi Francorum, qui hoc loquendi genere insinuat, injuriam fieri perspexisset. Mirabitur aliquis, cur rectum & suspiciosum dicendi genus usurpat Innocentius; præcipuè cum repulsa levius ferenda occasione Vuillelmo præbuisset, si apertè excepisset de necessitate consensus Regis Francorum. Sed desinet mirari, si has ambages consultò ab eo quæritas perpendat, ne videretur jus illud remisisse, quod Raimundus Comes Tolosanus Comitatu Melgoriensis adjecerat, hominibus à Domino Montispessuli exactis, ut superius dixi: quæ tunc cum præstabantur, jura Ecclesiæ Magalonenis intervertebant; sed post Comitatus Melgoriensis investituram, de jure Magalonenis Episcopi nihil deterebant; inter Regem & Pontificem recedente quæstione, de superiori jure feudi Montispessulani. Ex eo autem suspicari licet, consultò ambiguis verbis usum, & à jure Regis aperiendo abstinuisse, quòd aliunde constat ratione Comitatus Melgoriensis Innocentium ad se trahere conatum cognitionem controversiæ quæ de civitate Montispessuli mota est à Guillelmo nato ex Agnete pellice, adversus Mariam filiam Mathildis. Quare, ut antea monebam, natalium veniam indulgere aggressus non est Innocentius, *donec liberior jurisdictio ostenderetur*, id est, donec de Regis Francorum assensu constaret, aut de pleno & integro jure Romani Pontificis.

V. Ceterum omittenda non est Innocentij observatio: qui occasione ducta ex indulgentia qua usus est erga liberos Regis Philippad ejus postulationem, docet Romanum Pontificem non solum in Ecclesiæ pa-

Prolata est donationis charta in Notis lib. V. Fr. Bolquesi Episcopi Montipel ad l. 15. Reg. Innoc. ep. 102.

Catellus l. 2. Hist. Comit. Tolos. c. 6.

Exstant referipta Innocentij & Clementis in Notis ad l. 15. Reg. Innoc. ep. 102. & 171.

L. 15. Reg. Innoc. ep. 102.